



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 1. Sententia adversaria proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. Vtrum essentia disting. &c. 3

Denique quia aliis omnis res existens esset vnum per accidens, & non per se; quod est valde absurdum, & haec rationes probant; etiam existentiam vniuersaliusque accidentis non posse esse rem alterius praedicamenti, sed existentiam; v. g. quantitatis participare eandem rationem quantitatis, cum habeat per se extensionem proportionatam quantitati, & per se pertineat ad complendum effectum formalem quantitatis, & idem est, servata proportione, in qualitate; cuius effectus formalis est quale &c.

Et ideo qui melius sentiunt; etiam supposita distinctione essentiae ab existentia, dicunt existentiam esse quandam actum, seu terminum essentiae eiusdem rationis cum illa. Ita sumitur ex D. Thoma. 9. 5. de potentia, art. 4. ad 5. Vnde absolute dicendum est existentiam substantiae esse substantiam, & accidentis accidens, & modi modum, & rei rem &c. Existentiam autem essentiae vt sic nec esse accidens, nec substantiam, sed abstrahere ab omnibus his; vt in conclusione asseritur.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

AD primum distinguo antecedens, ex vi possibilitatis creatae, concedo; ex vi possibilitatis diuinae, & vt sic, nego; vt patet ex dictis in probatione prima conclusionis, vnde contra solum existentia creatae est ratio constituens rem extra causas, quare definitio existentiae vt sic non est recta, si ponatur illa particula in ipsa.

Ad secundum, patet ex iam dictis.

QVÆSTIO II.

Vtrum essentia actualis distinguatur ab existentia à parte rei?

SECTIO I.

Sententia aduersaria proponitur.

Prima sententia asserit existentiam creatam distinguui ab essentia actuali ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus, hanc sententiam defendit Hentichus, P. Albertinus, tom. 2. corollariorum, in praedicamento subst. disp. 2. 9. 1. P. Fonseca 1. tom. met. lib. 4. cap. 2. 9. 4. 5. P. Molina 1. p. 6. art. 3. & 9. 3. art. 4. disp. 2.

1. Probatur primo auctoritate Sancti Hylarij, & Severini Boetij, quorum primus 6. de Trinit. affirmat in Deo non esse accidens, sed substantentem veritatem; in creaturis vero esse accidens: sed accidens distinguitur à parte rei ab eo, cuius est accidens; ergo existentia à parte rei distinguitur ab essentia creatae; Sanctus vero Boetius lib. de hebdomadis. cap. 5. ait, in his quae sunt, aliud est id quod est, aliud vero ipsum esse; quibus verbis inter essentiam, & existentiam realem constituit distinctionem.

Secundo probatur haec sententia auctoritate D. Thoma. 1. p. 9. 6. art. 3. ad 2. vbi sic ait: Dicendum, quod licet vnum quodque sit bonum, in quantum habet esse, tamen essentia rei creatae non est ipsum esse: & ad 3. Bonitas rei creatae non est ipsi eius essentia, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse eius, vel aliqua perfectio superaddita: Quibus verbis insinuat Angelicus Doctor, essentiam creaturæ ab eius esse, seu ab eius existentia ex natura rei distinguui.

I. P. Tom. II.

stingui; quia quicquid superadditur alteri, distinguitur ab ipso; sed Angelicus Doctor asserit, existentiam creatam superaddi essentiae: ergo existentia creatae ex D. Thoma distinguitur ab essentia. Deinde tract. de ente, & essentia, cap. 1. & cap. 5. loquendo de substantiis immaterialibus, haec ait: Huius ergo substantiae quantumvis sint formae sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiae, & hoc sic patet: quicquid non est de intellectu essentiae, vel quidditatis, hoc est adueniens extra & faciens compositionem cum essentia, quia nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur deesse seu factio, possum enim intelligere quod est homo, vel phoenix, & tamen ignorare, an esse habeant in rerum natura: ergo patet quod aliud est esse ab essentia, vel quidditate: sic D. Thomas, vbi probat existentiam in te distinguui ab essentia.

Tertio probatur auctoritate sacrae Scripturae; nam Exodi. 3. cap. vers. 14. secundum versionem vulgatam habetur: Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos. Et iuxta Caldaicam, & Sancti Ispagnini translationem; Ero qui ero; sic dices Filiis Israel qui erit, misit me ad vos.

Ex quo loco sic argumentor; ut Deus tam Moysi quam filiis Israel attestaretur se esse, qui Moysen mitteret, nullum aliud efficacius signum tradidit, quam identitatem essentiae cum sua existentia, vt ostendunt verba adducta ex sacra pagina: ergo in creatis essentia cum existentia non identificatur realiter: patet consequentia; quia si etiam in creatis daretur identitas inter essentiam, & existentiam, nullum esset signum à Deo exhibitum vt ipsum cognoscerent Filii Israel, neque vlla causa existeret, cur Deus sibi existentiam inter omnia entia appropriaret, distinguitur ergo in creatis essentia secundum rem ab existentia.

Quarto, ratione sic probatur; quae ita se habent inter se, vt vnum ab altero secundum rem possit separari secundum rem; etiam distinguuntur; sed in creatis essentia, & existentia ita se habent: ergo distinguuntur. Probatur minor, illa separantur realiter, quorum vno corrupto, non corrumpitur alterum; sed corrupta existentia, non corrumpitur essentia: ergo separantur realiter. Probatur minor; essentiae rerum sunt necessariae ab aeterno; sed illud, quod est necessarium corrumpi non potest: ergo essentiae rerum non possunt corrumpi. Ex alia parte existentia, quia contingens est, potest destrui: ergo corrupta existentia non corrumpitur essentia.

Confirmatur primo; impossibile est rem aliquam intelligi sub opposito illius, cum quo est idem realiter, sicut homo intelligi non potest sub opposito rationalis; sed essentia entis creati intelligitur sub non esse quod est oppositum esse existentiae: ergo essentia creatae non est idem realiter cum existentia.

Confirmatur secundo, idem semper conuenit sibi ipsi; sed de essentia interdum verum est dicere, quod existat, & interdum quod non existat: ergo essentia non est à parte rei sua existentia. Probatur maior, quia omnis propositio essentialis est propositio aeternae veritatis, & absolute vera, siue extrema existant, siue non; sed si essentia creatae esset realiter idem cum sua existentia, propositio affirmans identitatem illam, esset essentialis, & minimum identica: ergo esset aeternae veritatis: ergo non posset esse interdum vera & interdum falsa. Minor probatur: quia olim de Adamo seu de eius essentia verum fuit dicere, illam existere, & modo falsum: ergo.

Si respondeas cum Gabriele, & Durando, semper

A 2 esse

esse verum dicere, de essentia actuali, quod existat, & semper verum de essentia in potentia, quod non existat, Adamique essentiam olim fuisse actua-lem & modo in potentia.

9 Sed contra: quia vel per essentiam in potentia intelligis id, quod est in potentia passiva ad esse essentiae materiam, scilicet primam, quae est in potentia, ut aduentu formae recipiat esse essentiale rosae, v. g. vel intelligis integram essentiam, de qua tota dum est in virtute suarum causarum, verum est dicere, quod sit potens ad existendum, sed non existat: si primum, insolubile relinquitur argumentum, quia materia non est essentia rosae, sed pars solum eius; si secundum, est contra est quia eadem numero essentia est illa, quae virtute continetur in suis causis, & illa, quae postea existit extra ipsas, sed existentia nequit affirmari de illa, quando virtute continetur in suis causis: ergo non est idem realiter cum sua essentia.

10 Quinto sic argumentor: existentia non est de conceptu essentiali, & quidditativo essentiae creaturae, alias essentia creata concipi non posset absque existentia, nec existentia contingenter conveniret creaturis & beneficio voluntatis liberae Dei: sed necessario sicut earum essentia: ergo distinguuntur aliquomodo à parte rei; sed non ut non ens habente, nec solum ratione: ergo distinguuntur ut ens à modo, vel ut una formalitas ab alia: prima minor sic probatur: quia ea, quae veram, realem & actualementis rationem participant, invicem distingui nequeunt, ut ens à non ente, quia hoc solum pacto distinguuntur ens, & eius contradictorium, sed essentia actualis, de qua solummodo controvertimus, & existentia veram, & realem actualementis rationem participant: ergo distinguuntur tanquam non ens ab ente; secunda pars minoris sic probatur: distinctio rationis vel est distinctio excludentis ab excluso, vel includentis ab incluso: sed neutro modo distinguuntur essentia, & existentia: ergo non primum, quia essentia actualis includit existentiam, cum actuali ab actualitate dicatur: nec secundum, quia vel essentia includeret existentiam vel existentia essentiam; sed nec primum, nec secundum: ergo non primum, quia potentia non includit actum in sua constitutione, per quem determinatur; sed existentia est actus determinans essentiam: ergo, nec secundum; quia potentia debet esse extra rationem actus.

11 Vltimo sic probatur: essentia Petri est eadem permanens heri, & hodie, atqui existentia non est permanens sed successiva: ergo existentia Petri non est idem ex natura rei, cum essentia Petri, quia repugnat eandem realitatem simul esse successivam & permanentem; Maior est certa; minor sic probatur. Petrus existere hodie, non est extitisse heri, quia existens Petrus heri, potest non existere hodie, poterat enim nocte praecedenti destrui; ergo existentia hodierna Petri non est existentia externa, quia si esset eadem existentia hodierna, & externa, redderet Petrum simul existentem hodie, & heri, imo & per totam aeternitatem necessario.

SVBSECTIO II.

Sententia ponitur.

12 Secunda sententia asserit existentiam distingui ab essentia actuali tanquam vnam rem ab alia re, ac proinde in toto rigore realiter: hanc sententiam defendit Caietanus tract. de ente & essentia. q. 11. cap. 5. similiter eam docet Ferrar. Capreol. & ca-

teri Thomistae, & probatur sic primo à Caietano: Omne esse irreceptum est infinitum simpliciter; sed nullum esse creaturae est infinitum simpliciter: ergo nullum esse creaturae est esse irreceptum: ergo omne esse creaturae distinguitur ab essentia creaturae secundum rem; quia omne quod recipitur, distingui debet ab eo à quo recipitur realiter. Minorem ait Caietanus esse per se notam. Maiorem ita probat: omne purum esse est esse infinitum simpliciter, quia ideo esse limitatur, quia non est purum; sed praedicamenti permixtum, à quibus si depuretur, erit infinitum simpliciter; sed omne esse irreceptum necessario esse debet purum, seu depuratum à permixtione aliorum praedicamentorum; erit ergo infinitum simpliciter.

Confirmatur: si albedo ponatur irrecepta seu irreceptibilis in subiecto, erit infinita in genere albedinis: ergo & esse irreceptum in essentia erit infinitum in ratione essendi.

Confirmatur secundo, omnis limitatio opposita infinito simpliciter, vel provenit à differentia contrahente, vel à subiecto recipiente; sed existentia, seu esse creatum limitari nequit per differentiam contrahentem, cum sit vltima actualitas; limitabitur ergo à subiecto recipiente, essentia scilicet, à qua necessario secundum rem distinguitur.

Secundo principaliter sic probatur: quia omnis potentia distinguitur realiter ab actu, cuius est potentia, sed essentia est potentia ad existendum, seu essendum, quae sunt actus illius: ergo essentia distinguitur realiter ab existentia. Maior patet: quia nihil est in potentia, neque est potentia ad se ipsum recipiendum: ergo illud quod est potentia receptiva alterius, distinguitur realiter ab illo.

Tertio sic argumentor: Id quod convenit naturae specificae absque omni causa effectiva, distinguitur realiter ab eo, quod convenit illi per causam effectivam; sed praedicata quidditativa, seu essentia convenit naturis specificis creatis absque omni causa effectiva, ut ostendit haec propositio: Rosa est substantia corporea, quae seclula omni causalitate effectiva est vera (est enim propositio aeternae veritatis) existentia, seu esse convenit illis, media aliqua causa effectiva, ut de se patet: ergo esse, & existentia distinguuntur ab essentia creata.

Vltimo sic probatur: de ratione entis creati est compositio aliqua realis, alias ens creatum pertinere posset simplicitate diuinam; sed nulla alia compositio convenit illi, nisi compositio ex esse, & essentia: ergo omnis creatura est composita ex essentia, & existentia, seu esse; atqui omnis compositio realis est distinctio vniu: ergo existentia seu esse, & essentia in creatura distinguuntur realiter.

SECTIO II.

Nostra Sententia ponitur, & probatur.

SVBSECTIO I.

Autoritate ostenditur Conclusio.

Prima conclusio: esse actuale, seu existentia nullo modo distinguitur à parte rei ab essentia actuali creaturae. Haec sententia communiter defenditur à Doctoribus Societatis Iesus.

Probatur primo ex Aristotele qui lib. 7. cap. 6. à principio usque ad finem capituli, non solum docet, sed etiam probat euidenter existentiam, seu esse non distingui à quidditate, seu essentia. Verba Aristotelis in principio Capituli haec sunt: Vtrum autem quidditas, & vnum quodque idem sint, an diuersa, ex-

pendendum